

Cap. 6.

finitum & immēsum esse nullo modo potest. Præterea quemadmodum linea cuius finis est & terminus, immensa esse non potest, sed ea demum quæ immēsam habet longitudinē, sic etiam extremitas, qua ex parte est terminus, non potest. cūm autem definita est, nullo modo, veluti quadratum infinitum, circulus vel globus, quemadmodum nec aliquid quod est pedale, immensum potest esse. Quòd si nec sp̄era nec quadratum, nec circulus infinitus est, & non extante circulo, ne ei quidem motui qui in orbem incitatur, loci aliquid relinetur, & si non est circulus infinitus, nec conuersio est infinita: profectò nisi sit immensus orbis, corpus immensum in orbem non versabitur. Præterea si G centrum constituatur, & AB linea immensa, E autem linea ad rectos angulos infinita, & CD item infinita quæ moueatur, nunquam CD ab E conficietur, sed semper eam quam CE, rationem habebit. Secat enim in F puncto. Non igitur in orbem immensa fertur. Præterea si cælum interminatum est, & circum se torquetur, finito tempore immensum sp̄acium conficiet. Sit enim vnum quidem cælum quod nō moueatur, alterum autem quod in illo moueatur huic æquale, profectò si immensum cūm esset, in orbem latum est, id quod ei par est infinitum sp̄acium definito tempore confecit. Sed hoc fieri non potest. Atque etiam conuerso commutatōque ordine dici potest, si definitū sit tempus, quo aliquid in orbem circūmque latum est, sp̄acium etiā quod confecerit, finitum esse oportere. Id autem confecit quod ipsi erat par & æquale. Ipsum igitur etiam finitum est. Illud ergo perspicuum est, immensum & interminatum non esse, sed terminum habere id quod circum se feratur. Nec vero id quod ad medium, nec quod à medio mouetur, infinitum esse potest. Contrarij enim motus sunt superior & inferior. Contrarij autem ad contraria loca ferruntur: & contrariorum si alterum definitum sit, definitum etiam erit alterum: & medium terminatum est. Si enim vndeliber deorsum feratur id quod omnibus substernitur, ultra medium progredi non potest: definito certè medio locus summus terminatus sit necesse est. Quòd si loco determinata sunt, determinata etiam erunt corpora. Præterea si locus superior & inferior termino continentur, medium etiā necesse est determinatū esse. Nisi enim sit, infinitus erit motus. Quod fieri nō posse suprà docui. Medium ergo definitū est.